DE CHLOROSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET...

Léonard Henry

DE CHLOROSI

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS FACULT. MEDICAE DIRECTORIS, SPECTABILIS D. DECANI, NEC NON CLARISS. AC CELEBERR. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

D.re FRANCISCO FLARER

REI OCULARIAE P. O.

PRO

Doctoris Medicinae Laurea

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

Mense Septembris 1844

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

publicae disquisitioni submittit

LEONARDUS HENRY

BONONIENSIS

TICINI REGII

Ex Typographia Bizzoni

1844.

Lectori salutem!

De morbo scripturus, de quo ab Hippocrate in hodiernam usque diem innumeri artis nostrae, tum principes, tum tirones scripserunt, me actum agere optime novi. Attamen hac ipsa de causa illud mihi longe melius convenire ratus sum, quum viribus meis magis consentaneum esse censerem in via jam trita progredi, ubi tot et tanti me face praecedunt, quam per novam et asperam aberrare coeco fervore adhuc latentia enucleandi, et nova proferrendi.

Quis enim immensae hujus scientiae limina vix ingressus, tot insignes viros latentia revelare praesumat?

Hinc si exiguus hicce de chlorosi tractans libellus nil novi continet, nil eximii praestat, meminerit quisque tironis medici primitias esse experientiae thesauro destituti, et hinc arbusculi tam immaturi et fructus esse immaturos nemo certe mirabitur.

Ticini Regii mense Augusto 1844.

AUCTOR.

CHLOROSEOS BREVIS HISTORIA.

Chlorosim jam antiquissimis temporibus notum fuisse morbum, veterum scripta abunde confirmant; ita ipsae medicinae practicae auctor, atque fundator, cujus observationes per omnia saecula medici in exaranda historia, statuenda prognosi, et therapia instituenda ad nos usque praelucent, Hippocrates, in operibus suis morbum describit, cujus signa essentialia cum signis chloroseos plurimum conveniunt.

Non minus Galeno, Avicennae, qui sub nomine Iliseis eam clare describit, et Paracelso qui chlorosim qua aegritudinem ex fluxus menstrui defectu progredientem declaravit, cognitus fuit morbus, et huicce opinioni therapiam superstruxit. Sylvius de la Boe et Sydenham eam saltem qua morbum evolutionis cum fluxus menstrui anomalia ex sanguinis circuitu inordinato, et aut venaesectione, aut thalamo optime sanari putabant. Plater *cachexiam virginum*, Mercatus *febrim albam*, et *virginum obstructiones*, Gesner *febrim albam densam* nuncupat; Swediaur jam in *sthenicam* et *asthenicam* di-

vidit. Rodericus a Castro sub nomine *morbi virginei.* Ballonius sub titulo *foedi virginum coloris* eam summe characteristice pingit, et cachexiam appellat, id est malum corporis habitum. In epistola medica XXI Langii occurrit sub nomine *febris amatoriae*, qui erethisticam potius illius speciem ante oculos habuisse videtur. Etmueller eam *icteritiam albam* appellat a crebris fors complicationibus cum hepatis functione turbata seductus.

Primus autem, qui morbum huncce sub nomine *chloroseos* depinxit, dicitur fuisse W. Bailleau ad finem saeculi XVI, qui et divisionem pro symptomatum varietate tentavit.

Sauvages eam parum characteristice definit *pallorem cum asthenia habituali.* Fridericus Hoffmannus jam aptius post alios ejus essentiam in processu reproductivo vitiato reponit, et veneris desiderium qua peculiare morbi signum, et radicem declarat. Cullenius eam ad nevroses relegat.

Saeculo XVIII itaque chloroseos pathologia et therapia magis evicta, et strictiori disquisitioni subjecta, ejus momenta causalia cum majori statuta sunt circumspectione.

Petrus Frank chlorosin malum nominat asthenicum et chronicum, nequaquam soli sexui sequiori proprium, quum et viri litterati, convalescentes aut aliunde debiles ex viridi pallescere possint, et mentium vitia saltem symptoma sistant a sexu non vero a morbo pendens.

Vix superandas autem aegritudinis hujus et therapiae ejusdem expositiones initio saeculi XIX exhibuere Brandis, Lenz, Marcus, Fleisch et Schneider, Dömling, Haase, Schmalz, Richter, Kummer. Inter recentissimos prae reliquis eminent meritis suis in morbi penitiorem cognitionem et exquisitam therapiam Harles, Carus, Siebold, Sundelin, Raimann, Mende, Schoenlein, qui operibus suis quocunque respectum omnem hujusce morbi paginam absolvunt.

Definitio.

Chlorosis sistit cachexiam sui generis sexui sequiori praecipue propriam virgines, mulieres et viduas juniores, sed et homines plectens, in abnormi haematopoeseos praeprimis processu radicantem ac pallore dedolatione libidinibus et mensium anomaliis characteristicam.

Nosographia generalis.

Facies peculiaris cachectica, quam chloroticam nuncupant, exhibet partium earum, quae tenui epidermide obvestiuntur, indeque faciei et interne palpebrarum superficiei colorem eximie pallidum, variegatum, interdum modo viridescentem magis, modo luteum, modo plumbeum; in aliis hujus morbi casibus sic dictis floridis, genae belle rubent, tamen hic rubor ab illo sanorum bene distinguitur; caret praeterea

cutis omni turgore vitali, calore animali aequabiliter imminuto, non autem est atrophica, imo potius tumida, mollis, palpebrae inferiores colluvie aquosa laborant, vultus vel apathiam vel morositatem a levissima causa ingravescentem ostendit, musculorumque universalis delassatio aegram deprimit. Chloroticae facile, et levissima causa praegressa fatigantur, inde quietem assiduo quaerentes; respirandi difficultatem semper accusant, quae non qua dyspnoeam sed qua apnoeam sese manifestat, jussae enim thoracem multum extendere valent. Neque per percussionem, neque per auscultationem morbosa signa inveniuntur. Cordis palpitatio, pulsus acceleratus, parvus, debilis, anaemicus, haud aegre reprimitur; venae superficiales sive pallentes, sive roseae nunquam turgent. Appetitus prostratus, mucidus oris sapor, ructus flatulentia post cibos etiam eupeptos sumptos, stipsis obstinata, ut per triduum nulla alvi evacuatio contingat, haud crebro diarrhoeis profusis intercedentibus, quibus cibi, quin digesti fuerint, secedunt. Mensium anomaliae, ut si morbus, quod creberrime fit, ante pubertatem incesserit, neque procedente aetate molimina menstrualia apparent. Ubi catamenia jam adsunt, eorum ataxia notatur; post sex aut octo hebdomadas mucus seu purus, seu pauco sanguine admixto effluit.

Praeter symptomata hucusque enumerata, accedit nonnunquam intemperies nervorum abdominalium, affectiones gangliares, sive leviores

hystericae, sive graviores, utpote somnambulismus. Nonnunquam pyrosis, pica, qua postrema aegrotae cinerem, calcem, vel alia hujuscemodi comedunt et cupidissime appetunt.

Aetiologia.

Chlorosis in regionibus septentrionalibus magis frequens. Qua illius momenta causalia omnes influxus recensentur quibus perfectior haematopoesis impeditur, uti alimenta prava, indigesta, panis secalini, vel tuberum solani, ut crebro inter pauperes fit, solus usus, et aer humidus, particulis heterogeneis impregnatus; dein omnes causae, quibus praecox organorum genitalium evolutio ponitur, uti cibi nimio aromate scatentes, libido in puellis immaturis per turpes fabulas lectas continuo incitata. Illae causae inter rusticos et plebeculam, haec postrema inter divites crebrior occurrit. Adde vita vasorum praegressis morbis exhausta, maxime post haemorrhagias profusissimas; vel venaesectiones saepius repetitas, nonnunquam etiam post affectiones nervosas.

Divisio morbi.

Non omnibus auctoribus arridet idem divisionis principium. Plurimi horum morbi originem pro momento divisionis recipientes, chlorosin primariam statuunt et secundariam, uti

Berends, Bichter, nobilis a Raimann, Sundelin et alii; vario ast iterum modo de utraque specie dissentientes. Sic Berends omnes chloroseos casus non in virginitatis statu sexus sequioris contingentes ad secundarias esse referendas contendit, alii vero imo et in viduis et uxoribus primariam obvenire posse contendunt, et jure, ut videtur, majori. Raiman praecipue ad evolutionem genitalium ipsam et eorundem functiones respiciendum esse evincit, momento prae ceteris eminente; prout nempe: relate ad totum organismum nimis mature, perfectione gaudent majori, vel in sua evolutione retinentur, toto habitu foemineo perfectione justo minori peccante, aut vix mensibus quoad quantum et quale ingressis normalibus per momenta excitantia quaecumque fluxus eorum supprimitur, aut anomalus evadit, quibus addendum se in aliis morbis uti: rachitide, scrofula etc. chlorosis fundatur. Haec momenta rite perpensa divisionem in *primariam* et *secundariam* confirmant.

Praeter hanc autem divisionem symptomata saepe multum diversa in computum ducantur, pro nova practici valoris uti prior dirimatione fulcienda. Verum quidem revera cachexiam virgineam semper cum asthenia, cum charactere magis passivo incedere, ast dantur casus tales, ubi debilitas cum erethismo morbi imaginem largitur, congestionibus variis, paraphlogosibus aut phlogosi et febri irritativa non raro comitibus. In his casibus pro varia eminenti passione

systematis vasorum aut nervorum variae quoque et cito fugaces moxque redeuntes in his systematibus se insinuant turbae, fluctuantibus irritationis cum languoris signis et stimuli impatientia incedentes. Dantur e contra casus in quibus torpor in omnibus organismi sphaeris, cacochymia sanguinis praeeunte, itaque a nutritione vitiata egrediens ad reliqua systemata reflexus conspicitur. Hic iterum signa manifesta laxitatis universalis, nisus sanguinis in dissolutionem, degeneratio et discrasia acida cum suis phaenomenis, status pituitosus plene evolutus, helminthiasis ipsa, scrofula torpida, nisus in somnum fere insuperabilis et interdiu, circulatio sanguinis summe retardata, et receptivitas et reactio in stimulos minima. Haec igitur irrefutabilia observata alteram momentosam evincunt chloroseos divisionem in *erethisticam* et *torpidam.*

Harless eam dividit in genuinam uterinam (menorrhoopathicam), scorbutico atrophicam et cardiacam. Swediaur in sthenicam et asthenicam, Schmalz in torpidam et calidam (febrilem inflammatoriam) erethisticam.

Alii plures adhuc alias statuunt divisiones ex quibus momentosissimae tamen, inque praxi medica ipsa filum Ariadnes largientes fidum mihi videntur illae, in primariam et secundariam — erethisticam et torpidam — idiopathicam et sympathicam — connatam et acquisitam — graviorem et leviorem — simplicem et complicatam — febrilem et afebrilem.

Hae enim divisiones ex sinceris naturae observatis, longaevaque experientia, artis nostrae primario et purissimo fonte promanant, et respiciendo gradum, originem, indolem et complicationem morbi in therapia felicissime instituenda decisi sunt valoris.

Exitus.

Morbus interdum elapsis vixit tribus hebdomadis tollitur, si ab initio statim recta instituitur curatio. Non raro per menses imo per annos durat.

Sanatio contingit sequentibus phaenomenis. Aegra adpetitum denuo adquirit et colorem faciei normalem; redeunt vires et vigor, menstruatio paulatim restituitur. Excernitur mucus a principio sanguinolentus sed post duas aut tres periodos excernitur sanguis. — Si morbus non bene sanatur facillime in hysteriam, aut melancholiam, imo in nymphomaniam abire potest. Quandoque oritur aneurisma passivum propter actionem excessivam cordis, praesertim ubi cor omnes suas intendit vires ad deficientem energiam circulationis celeritate motus compensandam.

Saepissime oritur hydrops atonicus. Observatur etiam interdum induratio et atrophia Lienis, et in scrofulosis evolvitur facillime phtisis pulmonalis.

Nonnunquam sequitur mors ex diarrhoea, ex deliquio et febri hectica.

Prognosis.

Ubi morbus gradus fuerit levioris, non protractus nimis, sincerus, non neglectus aut perverse tractatus momenta causalia facilia abactu, periculum non instat, imo non infrequenter solis naturae moliminibus aut connubio sanatur. Si chlorosis post pubertatem diu organismum infectat, praecipue vitiis organicis difficulter amovendis inducta, ibi praesagium anceps imo saepe infaustum. Mulieres graviter chloroticae, etsi sanatae, postmodum si non steriles sint, abortui sunt obnoxiae, aut proles edunt debiles decrepidas. Qui sint exitus infausti graduum morbi altiorum superius memini.

Therapia.

In labe hacce abigenda uti in omne ferme sequentes emergunt indicationes:

a) Causae abigantur aut influxus illarum quam possibile infringatur, sic et in morbo secundario aut complicato, morbi principalis, et complicationum respectus habeatur.

b) Morbus ipse tollatur, imperfecta digestio, assimilatio, et haematopoesis emendetur, et ad normam reducatur.

c) Symptomatibus urgentioribus occurratur.

d) Reconvalescentia promoveatur et recidivae praecaveantur.

Jam in indicatione prima implenda saepe

gravissimae, saepe plane insuperabiles medenti se opponunt difficultates, et ab hac parte sola saepe sanabilitas aut insanabilitas dependet morbi. Quivis praemissa animo volvens attento facile therapiam contra causas singulas dispositiones aut excitantes, casui, individuoque adaptabit, quas omnes evolvere iisque occurrere in infinitum duceret, sufficiat saltem generatim adduxisse regimen diaeteticum in exordio therapiae jam primas tenere partes, tam somaticum quam psychicum.

Ex parte somatica.

Chlorotica frequentiorem, moderatum in aëre libero, puro, sicco, moderate calido motum instituat, nocet autem exaestuatio et refrigerium. Exercitatio virium muscularium intentione modica, laboribus in hortis et campis levioribus, quibus motus corporis totius, quin vehementes in hoc ipsum fiant impetus perficitur, — in genere urbium angustarum vitam delicatulam et emollientem fugiant cloroticae, rureque per longius tempus degant vitam occupatam sub jove sereno, in regione mediocriter elata, naturaeque et psychen et soma recreantis vigore. Utantur balneis frequentioribus parum tepidis, quo cutis mundities et functio plerumque in chlorosi suppressa iterum restituitur. Domicilium sit sat amplum, purum, siccum, elatum, saepius ventilatum. Somnus vix ultra septem concedatur ho-

ras, sitque lectus e stragulis stramine aut pilis equinis non plumis repletis confectus. Victus sit digestu facilis, bene nutriens animalis prae vegetabili, juscula carnosa, carnes teneriores, ova sorbilia, sed et oleracea, fructus horrei interpolantur. Sint cibi leviter aromate conditi bene parati, conveniunt et potus nutrientes leniter stimulantes, uti: cerevisia bona, vinum aqua dilutum nisi major actio vasorum et sensibilitas excedens contradicant.

Ex parte psychica.

Regimen psychicum tanti est in hocce morbo momenti, ut revera totam quandoque curam absolvere valeat, quare et optima contra chlorosim prophylaxis educatio circumspecta et rationalis est, quae tam ex parte physica quam psychica evolutioni arridet organismi. Ante omnia aegrae fiduciam tibi conciliare studeas, alias cuncta saepe frustranea. Ubi enim moeroris reclusi, tristitiae, aliorumque animi pathematum causam, phantasiaeque lusus haud raro omnem mentis et animi activitatem obumbrantes tollere, hilaritatem reducere, desideriis satisfacere valebis, sanationis plurima affulget spes. Hunc in finem amice collaborant: apta occupatio, grata conversatio, musica, affectus excitantes grati, itinerationes, adhortationes blandae argumentis suffultae aegrae ipsi inclarescentes aut matrimonium ipsum. Nec tamen nisi ab-

solute necesse, talia ordines, quibus invito violentoque modo mens aegrae in alia dirigitur, sed salubria amoenis jungere studens. Lectitationes romanticae, societates suspectae, spectacula indecora interdicantur, ut instinctus sexualis debite coërcentur ad onaniae vitium maxime attendatur.

Cura pharmaceutica.

In omnibus morbis chronicis therapiam magis methodice et certum scopum prosequendo instituere in genere licet ac in acutis, nec ex altera parte celeres et mox visibiles medicaminum effectus desiderare et hic non intrantibus; exhibita mox abjicere et aliis supplere, sicque se vacillantem et variabilem sistere convenit, sed imagine morbi omnibus lineamentis characteristicis semel depicto aut sibi praesentato, fixo magis procedat ordine singulis indicationibus pedetentim satisfaciendo.

Exordium curae exposcit plerumque, ut: alvus segnis moveatur, hepatis, lienis, glandularum mesaraicarum infarctus, obstructiones, qua complicationes abigantur. His opponatur gramen, cichoreum, taraxacum, fumaria, saponaria, in decocto, aut succus recentis herbae, aut extracta cum rheo, felle tauri ejus praeparatio, adjectis si res poscunt, salibus tartricis aut sulfuricis.

Emphraxes graviores potentiora quoque postulant uti: tartarum emeticum, calomel, sa-

lem ammoniacum, gummiresinas, thermas Carolinenses, clysmata Kaempfii et similia.

Nec absint et remedia externa uti: balnea, cataplasmata aut unguenta, indolis ejusdem ac interne usurpata. Ubi sordes gastricas latere intelliges, aut statum excedentem pituitosum, aut verminosum, ad purgantia, emetica, anthelmintica confugere non haesitabis, casui aptandis. Omnibus his paginis absolvendis imprimis par est: tartarus emeticus varia dosi pro effectus varium gradum optatum, nisi graves adsint contradictiones. Secus et senna, rheum, jalappa et sal ammoniacus praestantis solent esse effectus.

Acido primarum viarum absorbentia et amara serius cum fructu oppones.

Reliquam immensam complicationum cohortem singillatim adducere in infinitum duceret, in genere illarum dignitatem sagaci perspicies oculo et dijudicabis facile, an illae propriam sibi exposcant medelam, aut sub cura chloroseos ipsius sint disparriturae.

Ad radicalem itaque chloroseos curam transgrediendum esse censeo.

Morbi causa, ejus forma et gradus, subjecti individualitas hic omnem dirigunt medelam. Quum autem illa in metamorphosi progrediente retenta, obumbrata, haematopoësi perversa, erroneaque omnis pro-et reproductionis anomalia et retentione eminenter radicetur, promovenda, exaltanda erit digestio, assimilatio, nutritio et

organica consolidatio methodo roborante, stimulante, restaurantur.

Morbi levioris gradus sanationem saepe sola remedia diaetetica adsolvere valent, sed in gradu altiori apparatu pharmacentico summopere opus.

Ab initio productis morbosis e tubo intestinali expulsis, et ubi eminens quidam digestionis languor conspicitur, simpliciter amara sunt exhibenda, uti centaureum, trifolium fibrinum, gentiana, quassia, fel tauri, ubi diarrhoea et debilitas urget, simaruba, colombo, lichen islandicus.

Mox transeundum ad aromatica amara, uti: absinthium, aurantium, calamum aromaticum, nucem muscatam — chinamque ipsam, ultimam optime in infuso. Sic etiam cinnamomum, rheum parvis dosibus optime saepe effectus.

Remediis hisce, digestione satis firmata, aptissimum in hoc morbo et divinum ferme remedium in ferro invenitur. Extractum malatis ferri, tinctura martis pomata, vinum chalybatum, etiam a debiliori ventriculo praeprimis ubi ab initio minori propinas dosi, bene feruntur; ubi mucus primas molestat vias, flores salis ammoniaci martiales, ubi alvus tarda, ferrum tartarisatum, ubi symptomata urgent nervosa, tinctura nervino-tonica Bertuscheffii. In fine tandem limatura ferri ipsa qua rex martialium.

Promovetur vero vigor organorum digerentium et assimilantium apte per copulam ferri cum amaris et amaro aromaticis.

Tandem aquae martiales, uti: Spaaensis,

Pyrmontana, Egerana etc. eo magis commendandae veniunt, cum earum usus tam externus quam internus fieri possit simul, haecque facilius assimilentur, et inter ipsum et distractiones in locis thermarum mire effectus adjuvent.

Symptomatibus urgentioribus, uti: cephaleae, vomituritionibus, flatulentiae, epilepsiae, hysteriae, choreae, cardiopalmo, dispnoeae et causis convenienter erit occurrendum.

In stadio reconvalescentiae indicatio ultima est absolvenda. Ex altera parte digestio, assimilatio et nutritio utut et vires organicae ad statum normalem sunt erigendae, ex altera recidivae praecaveantur.

Continuetur ideo ulterior amarorum, amaro aromaticorum et martialium usus, victus sit digestu facilis, nutriens, animalis potissima parte, divisis portionibus assumtpus, procuretur aptus corporis motus, aër purus, siccus, mentis hilaritas, somnus tranquillus, non nimius. Quaecumque nimis stimulat, aut debilitant, exhauriunt, nocivi in corpus et mentem influxus arceantur.

Ubi vero reliquis functionibus omnibus normaliter progredientibus menstrua non accedunt, causa indaganda et huic convenienter procedatur.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Varia aetate temperamentum et dispositio in morbos mutantur.

2.

Remedia ab artis medicae ignaris propinata, interdum efficacissima.

3.

Hypochondriaci in consortiis selectis facile sanantur.

4.

Opium in colica saturnina optimum pharmacum.

5.

Cibus vegetabilis longaevitati melius ac animalis favet.

6.

Melancholici saepe ingeniosi, et ingeniosi saepe melancholici evadunt.